



Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. 13
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33

L. L. 9
M. M. 6 10



25 2237
DISCURSUS PRACTICO - PHILO-
SOPHICUS SECUNDUS

De
**JUSTITIA, ET QUI-
DEM COMMUTATIVA,**

Quem
Sub benignissimo Dei Ter-Optimi, Maximi, cujus-
libet Æqualitatis in re permutandâ Dictatoris perpetui,

auspicio
In Illustri Academia Wittebergensi,
PRÆSIDE

**M. CHRISTOPHORO GRAU-
MULLERO, Eisenberga- Osterlandô, Collegij
Philosophici Adjunctô,**

Publicè defendendum suscipiet

CHRISTOPHORUS GANTZLANDUS,

Torgensis Misnicus,
In Acroateriò veteri horis pomeridianis
Ad diem 26. Julij.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
ANNO MDC LI.

DISCIPULUS PRACTICO PHILO-
SOPHICUS REPERTORIUS

INSTITUTA ET QUI
DUM COMMUNITATA

M. CHRISTOPHORO GRAU-
MILLER, Rectoris Collegij

CHRISTOPHORO GANTZLANDIS

WITTEBERGAE
Typis Johannis Kollner Acad. Typogr.





PRÆLOQUIUM.



Mnem Injustitiam, etiam in
permutandis rebus, abominari Deum, e-
amque seriò interdicere, nobis adhuc
hodiè inculcat *Moses*, ille divinarum
Legum Amanuensis, *Levit: XIX. 35. 36.* No-
lite, *inquit*, facere iniquum aliquid in ju-
diciò, in regulà, in pondere, in mensurâ. Statèra justa,
& æqua sint pondera, justus modius, æquusque Sextari-
us; nec non *Deuter. XXV. 13. 14. 15.* Non habebis in sac-
culò diversa pondera, majus & minus. Nec erit in do-
mò tuâ modius major & minor. Pondus habebis ju-
stum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut
multò vivas tempore super terram, quam Dominus,
Deus tuus, dederit tibi. Sed quomodò *omnium rerum*
permutationes in communi vitâ suscipiendæ sint, ne viti-
um aliquod, vel in excessu, vel in defectu committatur,
verùm æqualis compensatio ubique exerceatur, edocet
nos *JUSTITIA COMMUTATIVA*, cujus universam *ἐργασίαν*
subsequens Sectio, tum *Dogmatica*, tum *Elenctica*, tum
Axiomatica sufficienter explanabit. Sit igitur:

A 2

SECTIO

SECTIO I. DOGMATICA.

Sistens distinctis Thesisibus integram hujus
Virtutis θεωρίαν.

THESIS I. IMPORTAT DEFINITIONEM.

*Justitia Commutativa est virtus, quæ servat mediocritatem
circa rerum commutationem, quantum cuiq; de illis de-
betur, quatenus privatus est.*

§. 1. In indaganda hujus *Definiti*, quod est *Justitia Commu-
tativa*, indole & Naturâ tria observemus: I. illud esse terminum
complexum, non quidem *significatione*, qualem è Categorijs Præ-
dicamentorum prorsus excludunt Logici, & propriè nec defi-
niri posse apud omnes constat; sed *voce tantum*, cujus farinae
terminus convenit cum terminò *simplici significatione tantum*,
qui componitur quidem ex pluribus dictionibus, sed quæ *signi-
ficatione* uni æquivalent, ut *animal rationale, disciplina capax, quã-
ritas discreta*, & hõc in locò *Justitia commutativa*. Nam Diale-
ctici interdum utuntur duabus vocibus locò unius propter pe-
nuriam vocum simplicium, quæ proinde apud ipsos tam sim-
plices habentur, quàm si essent unica dictio, legantur de hâc
doctrina *Plurimum-Rever. atq; Excellentiss. Dn. D. Scharsius, in
Instit. Log. p. 72. & seqq. & Philipp. Dutrieu. Tract. 1. Manud. Log.
part. l. c. 1. Art. 4. p. m. 8. & 9.* II. Vocabulum *Justitia* pro afflu-
entiâ enotare Exercitationem primam §. 1. ad quam Lectorem
benevolè amandamus. III. Notanter addi vocem, *Commuta-
tiva*, videlicet ut discernatur à *Justitia Distributiva*, aliàs Græcè
dicitur (1) συναλλακτική, quia ἐν τοῖς συναλλαγμασι, h. e. in con-
tractibus occupata est, (2) διορθωτική, quia rerum commutatio-
nem ita corrigit, ut neutri parti injuria inferatur.

§. 2. Præmissis nunc de *Nominali* Justitiæ *Commutativæ*
conceptu præmittendis, statim ad ejusdem conceptum *Realem*
h. e. Definitionem, scil. à *Definitò* contradistinctam, progres-
sum facimus: Ubi (1) *Genus* repræsentat nomen, *Justitia*, per
quam

2171

quam hîc loci intelligenda venit *Justitia non universalis*, sub quâ comprehenduntur, ut Philosophi probè monent, omnes virtutes; *sed particularis*, cujus totam indolem in proximè habitâ Dissertatione, ordine primâ, sufficienter explanavimus. (2) *Differentia* exprimitur reliquis verbis; videlicet *quæ servat mediocritatem circa rerum commutationem, quantum cuiq; de illis debetur, quatenus privatus est.* Hujus virtutis *ratio formalis* quandoquidem cum *Justitiæ particularis Differentia* pariter duplicem interpretandi importat modum, ita ut sub ejusdem unô consideranda veniat *Differentia Generica*, quam refert *ad servare mediocritatem*; sub alterô præprimis *Specificæ*, quæ constituit *Justitiam Commutativam*, eandemq; ita constitutam à *Distributivâ* distinguit; jam non opus est, ut de *priori* nova verba faciamus: siquidem pro non difficili captu ipsius essentiam, *quid sit ad servare mediocritatem, & in quibus etiam hîc loci, per applicationem ad suarum specierum unam, consistat*, arguit *Exercitatio 1. sect. 1. theor. 1. §. 5.* Verùm de *posteriori* præcipuè unum atque alterum monendum esse, à nobis exigit præsens materia, & ejusdem cum non ita pridem ventilatâ æquabilis ratio & tractandi modus. *Justitiæ igitur Commutativæ Differentia* conflatur (1) ab *Objecto* (2) à *Proportione*.

§. 3. Quod ad *Objectum*, sunt ex mente Philosophorum *res permutandæ seu ipsæ rerum permutationes*; item *commercia vel contractus*, per quos à nobis unâ cum non infimi subsellij Philosophis, tum antiquioribus, tum recentioribus, intelliguntur non modò veri contractus, h. e. primò sic dicti, & quasi contractus; sed etiam omnes obligationes, tam quæ ex delictis, quam quæ ex quasi delictis à *Jctis* prognasce dicuntur, & siquid ijs est simile. *Proportionem* quod spectat, ea est *Arithmetica*; & quoniam sub hisce verbis (*quantum cuiq; de illis debetur, quatenus privatus est,*) ejusdem integra ratio continetur, semper eò tendit, ut unâ cum præsuppositâ æqualitate, sine ullô habito personarum respectu, suum quisq; consequatur, & nulla pars defraudeatur; multò minus alius præ aliô vel minimâ prærogativâ gaudeat: Sic mercator non tenetur sua mercimonia vilius vendere Principi aut Regi, quàm concivi suo.

§. 4. Verùm Proportio *Arithmetica* secundùm *Keckerman-
num in Syst. Ethic. l. 2. c. 5.* definitur, quod sit proportio, qua
inter quatuor numeros, aut etiam plures ejusmodi compara-
tio instituitur, ut est identitas intervallorum, siue æqualitas, si-
siue idem numerus, quò unus superat alterum, e. g. si ponatur
3. 6. 9. 12. & instituatur comparatio numeri siue intervalli, quo
6. superant 3. & 9. superant 6. & 12. superant 9. invenietur, esse
non similem numerum, sed planè unum, eundemq; nempe ter-
narium. *Alius non-nemo Philosophus* eandem determinat hóc mo-
dò: Cum numeri ita progrediuntur, ut æqualis inter omnes di-
stantia sit, id est, quantum primum superat secundus, tantum
tertium superet quartus, &c. Talis proportio est in istis nu-
meris: 2. 4. 6. 8. quantum enim distant duo à quatuor, tantun-
dem absunt sex ab octò; sed ut binarius à quaternariò superatur
duabus vnitatibus, ita & senarius ab octonariò.

§. 5. Similiter notandum est, pro æqualitate istà adstruen-
dà etiam à Philosophis usurpari hanc rationem: Sicut *Arith-
metica proportio* rationes negligit; & tantum æqualitatem distan-
tiæ attendit, ita *Justitia Commutativa* personarum etiam non ha-
bet respectum, ut nuperrimè assertum fuit, sed huic uni dat o-
peram, ut summa rerum æqualitas quærat in solà distantià à
lucrò & damnò. (*Lucrum* vocat Aristoteles l. 5. Eth. c. 4. plus
boni & minus mali; *Damnum* plus mali & minus boni. Hinc
utrumque multò latius accipitur, quàm aliàs vulgò solet) Sed
quomodo permutationes invitæ ad æqualitatem sint redigen-
dæ, & injustæ corrigendæ, liquet ex sequentibus exemplis, v. g.
Duo mercatores, *Sempronius* & *Cajus* permutabunt vas vini cum
frumentò; frumentum autem valeat 100. fl. vas vini 60. Jam
si ita institueretur simplex permutatio, esset hæc injusta; ad æ-
qualitatem ergò hæc inæqualitas reducenda, quod fit utrumq;
precium conjungendo & productum ad duas æquales partes re-
digendo, quotus monstrabit singulis partibus cedere 100. fl. Ca-
jus ergo tenetur sempronio ultra vinum persolvere 40. fl. ut
permutatio fiat justa. Item *cedes voluntaria* à privato facta no-
bis sit exemplo: Hic lucrum est & damnum, lucrum penes
homicidam, damnum penes eum, qui occiditur; homicida
enim

2143

enim animo, & iræ suæ morem gerit, & voluptatem inde capit, qui verò, interimitur rei charissimæ jacturam facit, Factum hoc ut ad æqualitatem reducatur, & æqua utriusq, sit conditio, & homicidæ pariter eripiendum est, quod ipse alteri eripuerat. His adde per lucrum & damnum intelligi illud tantum, quod fit hominibus invitis, sive quod cum alterius injuriâ cōjunctum est.

§. 6. Porro moneamus, quòd hujus orationis sensus (quando in §. proximè præcedenti positum extat) *Justitiam commutativam non habere respectum ad personam, & nihilominus ejusdem Differentiam alicujus Subjecti, quod hic loci homo privatus est, meminisse*, non ita accipiendus sit, quasi prorsus nullam circumstantiarum *Commutativa* haberet curam, sed quod attendat dignitatem personæ, scilicet non primo ac per se, h. e. eo modo, quò *Justitia Distributiva*; aliàs nemo inficias ire poterit, quod *Justitia Commutativa*, ut omnis virtus moralis, consistens in mediocritate eâ, quæ ad nos est, utique inter alias circumstantias personam quoque respiciat. Eodem pacto in Fortitudine, Temperantia, Liberalitate, alijsque virtutibus, nunquam rectè medium accipiet, qui personæ conditionem floccipendet.

THEESIS II. REFERT CAUSAS ET PRINCIPIA.

Justitia Commutativa Principia seu causa sunt, tum Internæ, ut (1) Materia in qua sive subjectum (2) Materia circa quam sive Objectum; tum Externæ, ut (1) Efficiens (2) Finis.

§. 2. Hujus virtutis *causæ* ut à quòvis, etiam primò intuitu, plenariè intelligi queant, de singulis singulæ interpretationes sunt asseverandæ. *Internas* igitur quod concernit, ex ijs (1) *Materia in quâ, sive subjectum* in hæsiōnis, cui *Justitia Commutativa* per necessitatem essentiæ suæ attribui solet, duplex est: *Unum* dicitur *Subjectum Totale, Primarium, Adequatum, Ut quod, sive Denominationis*; estque impræsentiarum *totus Homo*, quem Virtus hæc, ut alia accidentia, non tantum principaliter & propriè afficit, sed quoque ab Eruditis *Justum in commutandò salutari*
anxiè

anxie desiderat. *Alterum* vocatur *Subiectum Partiale, Secundarium, Inadequatum, Utquo, sive Informationis*, estque hoc in loco vel mediatum, ut *anima*, vel immediatum, ut *voluntas*, quam ad recte agendum in rebus commutandis expeditam reddit, *Justitia Commutativa*, ut æquale eligat, & fugiat inæquale. (2) *Materia circa quam sive Objectum*, circa quod versatur *Justitia præsens*, sunt res commutandæ, quarum recessu totali ab *Aristot. l. 5. Ethic. c. 7. & 9.* nobis obijciuntur *συναλλάγματα* contractus, accepti scil. non strictè & in sensu *Jctorum*, pro mutuò consensu duorum vel plurium de re aliquâ legitimè transferenda, vel quoad usum, vel quoad dominium, vel quoad obligationem, sed latè & in sensu *Philosophorum* pro communitate quâdam agendi & patiendi, non tantùm inter volentes, verum etiam inter nolentes, & in ijs actionibus, quæ à delictò ab *Jctis* appellari consueverunt, sicut ex paragrafo 3. satis superque constat. Quod ad causas *Externas* attinet, illarum (1) *Efficiens* est actio *Commutativa, Mediocritati* conformata, adeò ut intelligamus h. l. actionem virtutis habitum non sequentem, sed præcedentem, quæ licet inter se non *specie*, attamen *gradu* differunt & *perfectione*. (2) *Finis* est ejusdem actionis terminus & complementum, quod alioquin ab Eruditis *Ευδαιμονίας* pars integrans dici solet.

THESIS III. INVOLVIT ATTRIBUTA ET OPPOSITUM.

Justitiæ Commutativæ, partim attributa sunt (1) Eminentia, (2) Intensio & Remissio; partim Oppositum est in commutandis rebus Injustitia.

§. 8. Quemadmodum Discurs. Practico-Philos. I. Theor. 3. §. 11. deducta fuit *Præstantia Justitiæ particularis* indifferenter, ita nunc *Eminentiam Commutativæ* adstruere possumus triplici fundamentò: Nimirum (1) hæc, tanquàm *Particularis Justitiæ* species habet bonum coordinationis & æqualitatis cum alterò, fovens majorem affinitatem cum præstantissimâ parte hominis, scil. cum parte rationali, à quâ quippe sola potest id Objectum percipi, & cui proinde inest *Justitia* ceu subiectò scil. appetitui

petitui intellectivo, id est, voluntati, ut *tradunt recentiores Philo-*
sophi. (2) Quod Objectum hujus Virtutis, cum sit bonum alte-
 rius, continetur quâdam diffusionem & communicationem sui
 cum altero, in quâ maximè resplendet ratio boni, eò quod bo-
 num est sui communicativum. (3) Quod objectum suapte
 ratione conducit maximè ad bonum commune societatis hu-
 manæ, quod existit nimirum ex rectâ habitudine hominum in-
 ter ipsos, in qua eadem versatur tanquam in suo Objecto pro-
 prio. De *Intensione & Remissione*, nec non de *Oppositio* hujus
 virtutis *in specie* prolixiorum sermonem proferre, quàm habui-
 mus de ijs *in Genere*, Discurs. Practico-Philosoph. I. loc. cit. (modò
 ad Species subordinatas eum applicemus) præter necessitatem
 deposcitur. Propterea recolamus, quæ ibidem asserta fuerunt.

THESIS IV. SISTIT DIVISIONEM.

Justitia Commutativa dividitur in Voluntariam, & Invo-
luntariam.

§. 9. De præsentis *Divisione* præprimis duo sunt notatu di-
 gna, UNUM, Divisionem non esse perfectam, & quidem (α)
Generis in species, i. e. totius universalis in partes suas subjecti-
 vas, quæ per differentias Specificas aut essentielles discernun-
 tur, v. g. Substantia dividitur in incorpoream, & corpoream;
 per incorpoream, tanquam per differentiam specificam dividi-
 ditur in Spiritum; sed per corpoream dividitur in corpus pro-
 priè sic dictum. Item Virtus dividitur in moralem & intelle-
 ctualem; per moralem tanquam per differentiam specificam di-
 viditur in Fortitudinem, Magnificentiam, &c. sed per Intelle-
 ctualem dividitur in Sapientiam, Prudentiam, &c. (β) *Essentia*
totius in essentielles partes, quando totum essenziale dispescitur,
 in ea, ex quibus primò constituitur, ut corpus dividitur in ma-
 teriam & formam. (γ) *Integri in sua membra*, quando totum
 quantum distribuitur in eas partes, quibus integratur, quibus
 ultra essentiam suam extensum est vel auctum: sic arbor dividi-
 tur in radices, truncum, ramos, fibras, folia, &c. sed Imperfe-
 ctam, at I. *non subjecti* (1) secundum sua *Accidentia*, v. g. Homi-
 nes alij sunt docti, alij sunt parvi, alij sunt magni. (2) per *cir-*
 cumstan-

B



cumstantias: Hominum alij habitant in Zonâ torridâ, alij in frigidâ, alij in temperata. II. Neque *Accidentis* (1) per *subjecta*, ut febris alia in Spiritibus, alia in humoribus, alia in partibus solidis: Sic morbus alius est capitis, ut cephalalgia; alius pectoris, ut asthma, alius corporis, ut palpitatio &c. (2) per *objecta*, ut Dilectio alia Dei, alia proximi. Item scientia alia est corporum, alia Spirituum, alia Entis, quatenus Ens est (3) In *Accidentia*, ut flavum aliud est dulce, aliud amarum. III. Neq; *Causarum ex Effectis*; ut Verbum Dei aliud conscientias terret, ut Lex; aliud territas consolatur, ut Evangelium. IV. Neq; *Effectus ex fine*, ut prædia alia dicuntur meritoria, alia rustica, alia voluptuaria. Sed V. *Effectus per causam Efficientem*: Sic calor vel est solaris, vel elementaris, vel animalis, & consequenter Justitia Commutativa est vel voluntaria, vel Involuntaria.

§. 10. ALTERUM, Justitiam Commutativam, vel commutationes partim esse inter scientes & consentientes, quorum respectu commutationes dicuntur *voluntarie*, tum à parte illius, qui accipit, tum à parte ejus, à quò accipiuntur; sive si magis arridet, ratione termini à quò, & ratione termini ad quem, ut sunt emtio & venditio, mutuum & fidejussio, commodatum, & depositum, locatio & conductio; partim esse inter nolentes vel ignorantes, quorum commutationes dicuntur *Involuntaria*, & sunt earundem vel *clandestine*, ut furtum, adulterium, veneficium, cædes dolò facta, falsum testimonium, & his similia; vel *violente*, ut verbera, vincula, mors, rapina, maledictum. Hæ ergo res omnes cum ad unam Justitiæ speciem specialissimam referantur, certè & infallibiliter quoque sequitur, tam in voluntarijs, quàm in involuntarijs unam & eandem rationem esse debiti, unum & eundem modum res ad æqualitatem redigendi; unam quoq; formalem rationem utrobiq; esse. Hic explicationis limites finimus, & ad controversias, circa Justitiæ Commutativæ materiam obortas, progredimur.

SECTIO

247.

SECTIO II. ELENCHTICA.
Exhibens quaternarium Controversiarum
numerum, Thesium numero respon-
dentium.

CONTROVERSIA PRIMA.

An Contractus legitimos inire Christianis licitum sit?

§. 11. *Negativam tuetur partim cum Chrysolomô, ut monet Perquam Rever. atq; Magnif. Dn. D. Strauchius, Superint. Dresdens. longè emeritus, Illustr. Quæst. Ethic. Centur. poster. Dec. 3. Gratianus distinct. 88. cap. Ejiciens, quòd nullus Christianus debeat esse mercator, quia mercator nunquàm potest placere Deo, & si quis voluerit esse mercator, ejiciatur ex Ecclesiâ; & Distinct. 91. Clericus, qui pro emendò aliquid in forò, vel nundinis deambulat, ab officio suo removeatur. Partim fovent Anabaptistæ, qui contractus & negotiationes omnes tanquàm Jctorum & Philosophorum commenta in universum ex eò damnant, quòd sint (1) statuta gentium à Deò prohibita, Deut. XVIII. 9. (2) A nuptijs cœlestibus impediunt, Matth. XXII. 5. (3) Interitûs causa, exemplo Sodomæ, Luc. XVII. 28. Tyri ac sidonis, Esa. XXIII. 2. (4) Peccatorum multorum ansa, Syr. XXIX. 27. (5) Spiritualis fornicatio, Apoc. XIX. 3. (6) Ementes & vendentes è templò ejecti, Matth. XXI. 12. vid. Gbernit. L. C. de Contr. c. s. P. 2. p. 167.*

§. 12. *Pro parte Affirmativâ militant sequentes Conclusiones: (1) Quicquid ad politicæ societatis conservationem necessarium est, id Christianis omninò licitum est. Atqui contractus legitimos inire ad politicæ societatis conservationem necessarium est. Ergo contractus legitimos inire Christianis omninò licitum est. Majoris connexio patet inde; quia enim Christianismo Politia non repugnat, utiq; nec illud, quod Politias conservat, eidem repugnabit. Minorex ijs constat, cum, quibus una regio indiget, perat ab alterâ, rursusq; quibus altera caret, ipsa verò abundat, eidem per contractum, secundum æ-*
B 2 qualem

qualem compensationem, communicet. (2) Quodcunq; Spiritus Sanctus certis adstringit regulis, illud, si modò præscriptò servetur, omnibus Christianis licitum est. Atqui contractus legitimos inire, Spiritus Sanctus certis adstringit regulis. Ergo contractus legitimos inire, si modò præscriptò serventur, omnibus Christianis licitum est. *Major* est extra controversiam. *Minor* liquet ex *Levit. XXV. 14. Deut. XV. 2. 12. &c.* ubi Deus certas contractuum formulas; utpote emtiones, venditiones, locationes & mutationes, &c. in Politia Mosaicà præscripsit. (3) Quicquid Pactum tam Vetus, quàm Novum approbat, illud Christianis licitum est. Sed contractus legitimos inire Pactum tam Vetus, quàm Novum approbat. Ergo contractus legitimos inire Christianis licitum est. *Majorem* nemo inficiabitur. *Minor* innititur I. *Dictis*, Prov. XXXI. 16. c. XI. 1. & XVI. 11. *Levit. XIX. 35. & 36.* Jerem. XXXII. 11. hinc forma syngraphæ in emtione describitur. Luc. III. 13. 1. Thesal. IV. 6. Jacob. I. 13. II. *Exemplis* tum *Sanctorum* in V. T. Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Davidis, aliorumque quos contractus politici in studio pietatis nequaquam impediverunt; tum *Discipulorum* in N. T. Johan. IV. 8. Luc. XII. 32. Josephi Marc. XV. 46. & aliorum insignium virorum, qui cum alijs, citra aliquam Pietatis jacturam, contractus sanxerunt.

§. 13. Ad testimonia in contrariam partem allata responderi potest, I. ea omnia laborare Fallacijs (1) à *dictò secundum quid ad dictum simpliciter*, quando id, quod saltem secundum quid verum est, accipitur simpliciter. (2) *Accidentis*, ubi ex ijs, quæ per Accidens insunt, subdole aliquid colligitur. Et ita dñatur in illis non verus negotiationum & contractuum usus, qui in se bonus est; sed abusus, seu fraudes & doli, qui in mercaturâ & contractibus frequentissimè adhiberi solent. II. Taxari nimium rerum terrenarum amorem, in invocatione divini nominis, auditu verbi, alijsque pietatis exercitijs nos impediendem, quem servator spinis, verbum divinum in nobis suffocantibus, comparat *Luc. VIII. 7.* Sicut ij, qui emunt, tanquàm non possidentes, ij, qui mundò utuntur, tanquàm non utentes. *1. Cor. VII. 30.* Concludimus itaq; cum *Doct. Chemnit. Regula L. C. part.*

2.d

219.

2, de Paupert. c. 5. p. 168. seq. Ita exercendos esse contractus civiles, ut conspiciatur in illis civilibus officijs fides, & exercentur dilectio: *Fides*, ne qua conscientia laucietur; *Dilectio*, ne quoquô modô imposturis, fraudibus, præstigijs proximo noceatur.

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum pœna sint irrogandæ secundum proportionem Arithmeticam, & sic secundum Justitiam Commutativam?

§. 14. Circa hujus aliàs difficilis controversiæ determinationem prænotanda veniunt, 1. non quæri hîc de ijs, quæ non nunquam publici boni interest ad vivum non resecari, nec de eô, quod fit, cum necessitati cedendum aliquando est, aut aliàs Princeps ex clementiâ ignoscit ei, quod justè puniri poterat; sed eâ de re, quum delicta justâ pœnâ afficienda sunt. 2. Delicta, quorum pœnâ huic aut illi delinquenti debentur, committi vel ex proæresi, vel ex imbecillitate tantum humanâ. 3. Proæresin delictorum aut palàm constare, aut saltem præsumi. 4. Pœnam, quæ *qualitate* una & eadem sæpe est, *quantitate* tamen differre, prout alia atq; alia persona eâ afficitur: sic flagellis ead mitior est pœna furi, quàm capite plecti, nobili autem etiam major. His prænotatis, ita informamus controversiæ statum: *An pœna, quorum delicta ex proæresi manifestò mala perpetrata fuerunt, sint irrogandæ secundum proportionem Arithmeticam?*

§. 15. *Negativa* est Conimbricensium Disp. IX. Ethic. qu. 1. Art. 2. Goliij 5. Ethic. cap. 3. Magiri l. 5. Ethic. cap. 4. & 5. Heilandij l. 5. Ethic. cap. 3. Sebast. Foxij Compend. Ethic. Philos. l. 3. c. 12. aliorumq;: Qui omnes cum in pœnarum inflictione habeant rationem personarum, & simul proportionem Geometricam introducunt, pro obtinendâ hâc opinione, ut Ethici hodiè communiter docent, argumentantur (1) ab *Experientia*, quâ nobiles & virtute præstantes plerumq; mitius puniri, quàm ignobiles deprehenduntur. (2) A *Legibus*, quarum *Viscellia* plagiaris servos bestiis projici, ingenuos securi percuti, aut

in metallum damnari; si vero persona honestioris sit conditionis, relegari jubetur. (3) Ab *Autoritate Aristotelis*, quando lib. V. *Ethic.* c. 5. plurimum interesse docet, an quis magistratum gerens, quenuquam percusserit, an alius; Item an ipsum Magistratum quis percusserit, an alium quempiam hominem privatum: Qui locus tam evidenter pro istâ opinione facit, ut suspicari quis possit, Philosophum ad *Justitiam Distributivam* pœnarum inflictionem redactam velle.

§. 16. *Affirmativam* partem suscipere, cui nos pariter accedimus, invadent hæc argumenta: (1) *Divina Sanctio*; absolutè enim & simpliciter absq; ullâ determinatione & distinctione personarum dicitur *Gen. IX. 6.* Quicumq; effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem. Lex talionis in politâ Israelitica erga omnes erat æqualis: Animam pro animâ, oculum pro oculo &c. *Exod. XXI. 24. Levit. XXIV. v. 19. Deut. XIX. 21.* (2) *πρωτοπολησιας prohibio*; quippe *Levit. XIX. 15.* Non consideres personam pauperis, nec honoris vultum potentis. *Deut. I. 17.* Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum. At nisi *Arithmetica* proportio in pœnis observetur, *πρωτοπολησιας* committi videtur. (3) *Judicis conditio.* Judici ratione officij incumbit, unicuiq; quod suum est, tribuere, unde etiam vocatur *δικαιος* quasi *δικαιος* per medium transiens, quod justam in omnibus observet æqualitatem. Ergo etiam in pœnis irrogandis æqualitatem *Arithmetica* sequatur.

§. 17. Ad argumenta opposita respondemus tum *in Genere*, tum *in Specie*. Priori modo dicimus, pœnam (1) non esse aliquid, quod sub distributionem cadat: Nam pœnæ cum in *Republ.* non omnibus hominibus sint cõmunes, sicut pecunia publica, agri ab hostibus capti, honores & dignitates, quas Magistratus confert, onera item, quæ subditis imponuntur, & si quid his est simile; certò illæ neutiquam sub distributionem cadere queunt. Deinde nemo hominum supplicio afficitur, quia subditus est & membrum communitatis, sed quatenus vel scortator, vel adulter, vel homicida; ideò delinquentem puniri multum *Reipubl.* interest. (2) Nec irrogari posse

2152

posse proportione Geometricâ: Etenim si ad statum & conditionem personarum, remotâ æqualitate Arithmeticâ, in pœnis irrogandis respiciendum, vehementiori pœnâ honorati, primarij ac nobiles erunt affiendi, ignobiles verò mitiori. Nam omne animi vitium tantò conspectius in se crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Hinc *Jacobus, Rex Britannie*, l. i. d. p. βασιλ. scribit ad Filium: *Absit ut existimes, gradus eminentiam imminuere delicti atrocitatem, sed contra potius eò majorem in modum augetur peccati gravitas, quò celsior habetur personæ dignitas.* Ex his ergo concluditur, pœnas nec distribui posse, nec juxta proportionem Geometricam, sed Arithmeticam irrogandas esse.

§. 18. *Posteriori modò, & quidem in specie, ad argumentum primum respondemus negando, ob respectum scil. personæ, nobiles mitiùs puniri, quàm ignobiles: & ita consequenter secundum proportionem Geometricam: Profectò aliæ adsunt causæ, ob quas virtuoso nonnunquam parcitur, v. g. in nobilibus & ignobilibus aliquando nõ eadem præresis, non idem finis; aliquando diversa quidem quantitas, una tamen & eadem pœnæ qualitas; aliquando mitiùs punitur primum delictum, quàm iteratum, quia diversa actio, alia ex lapsu contingit & errore, alia ex inveteratò confirmatòq; malò habitu, & quæ sunt similis generis rationes, de quibus §. 14. plenariè edisseruimus. Et nihilominus æqualitas Arithmetica ubique observatur, etsi nobiles mitiùs, ut moris est, quandoq; puniantur. Ad Secundum, consequentiã minimè admittendo: Fundamentum autem negationis consequentiæ est; *Justitia Commutativa*, etsi respectum ad personas habeat, hoc non facit, ut Philosophis constat, eò modò, quò *Distributiva*, nimirum per se & primariò, sed solùm per accidens & secundariò. Ergo sequitur, quod neq; *lex Viscellia* in pœnarum inflictione, quæ immediatè ad *Justitiam Commutativam* pertinet, (licet satis pro autoritate, h. e. primariò personas attendere videatur) *modum perfectatis* obtinere queat. Concludimus itaque, *Viscelliam* & alias leges personas non per se, sed tantùm per Accidens respicere, propt̃ ex personæ conditione, vel de peccati,*

vel

vel pœnæ qualitate judicari debet. Ad *Tertium*, Aristotelem rectè intelligendo: Verùm hoc facile fieri potest, partim cum recolimus, quæ ad præcedentes duas Objectiones responsa fuerunt; partim quando ex asse perlustramus paragr. 6. His probè observatis, Eruditorum quivis nobiscum faciet, pœnas secundùm proportionem Arithmeticam irrogandas esse.

CONTROVERSIA TERTIA.

An Honestas jubeat, ut Venditores Emptoribus vitium rei vendendæ significant?

§. 19. Problema hoc cum in contractibus locum habeat, operæ pretium erit, ut de eò quædam in medium proferamus: Nam mercatores hodiè permulti eò procedunt audaciæ, ut non solum non significant, sed insuper gloriantur, quempiam si deceperint. Ideò in *Negativam* hujus Controversiæ opinionem delabentes duas præcipuè urgent conclusiones, quarum *primæ*: Quod Emptoris proprium est, id Venditor nequaquam significare tenetur. Atqui vitia rei venalis deprehendere Emptoris est; huic enim permittitur eam undique perspicere, & deniq; perspectam emere, vel non emere liberum relinquitur. Ergo Venditoris non est vitium rei vendendæ Emptori significare. *Secundæ*: Nullus homo commodum suum impedire tenetur. Sed qui rei vendendæ vitium Emptori exponit, is proprium suum commodum impedit, unde meritò pro stultò haberetur, si quis venditurus domum, per præconem proclamaret, vendo ædes ruinosas. E. Venditoris non est vitium rei vendendæ Emptori significare.

§. 20. *Affirmativam* sententiam foventes, quorum vestigijs nos pariter insistimus, ita argumentantur: (1) Injustum est rem vitiosam tanti æstimare, quanti æstimatur res bona & utilis, cum semper in proportione Arithmeticâ merx præciò, & præcium merci æquari debeat. Jam verò quando venditor vitium rei venalis reticet, non aliò Scopò hoc facit, quàm ut rem illam vitiosam eò cariùs vendere possit. Injustum proinde est vitium rei venalis reticere. (2) Creare alicui damnum

vel

253.
vel periculum semper est illicitum. Atqui, qui vitium rei venalis reticet, damno proximum afficit, dum is rem illam expositam reputat pro bonâ, postmodum verò emptâ uti nequit. E. illicitum est rei venalis reticere. (3) Nemini Christianorum alterum defraudare integrum est. Atqui vitium rei vendendæ reticere est alterum defraudare. Ergò vitium rei vendendæ reticere Christianis non licet.

§. 21. Ad rationum oppositarum *priorem* respondetur distingvendò inter vitia occulta, quæ non ita facile deprehendi possunt, & manifesta, quæ omnium oculis & sensibus obvia sunt: Illa tenetur venditor significare emptori: Sed hæc non, quia hoc Emptoris est deprehendere vel non deprehendere. Unde si fortè non animadvertit vitium, sibi, non alii acceptum hoc referat. Ad *posteriores* neq; Majorem, neq; Minorem simpliciter veram esse: In *Majori* siquidem quod dicitur, uniuscujusq; esse pro virili suum promovere commodum, secundum quid accipiendum est, si nimirum justò & convenienti modò hoc fiat; aliàs & fures excusari possent, qui commodum suum itidem non negligunt. Neq; etiam *Minor* simpliciter metuat, hæc in parte, de merce vendèda penitus actum esse, cunctosq; Emptores per vitiositatem revelatam ab emptione absterritos iri. Siquidem vitiositati apponantur etiam ex alterâ parte virtutes ejusdem rei, sicq; qui per vitiositatem absterreri possent, per deprædicationem virtutum iterum allicientur, cum nihil prohibeat rem aliquam in unò vitiosâ, in reliquis utilem esse. Imò, si vel maximè per vitij significationem absterrerentur omnes, annon major Conscientiæ & Justitiæ quàm futilis & exiguæ pecuniæ tibi ratio habenda esset? Sed, ut ita cum non-nemine *Theologò insigni* nobis loqui liceat, *ubi jam Conscientia & Justitia? amba avolârunt.*

CONTROVERSIA QUARTA.

An homini Christiano bonâ conscientia ab aliquibus interdum liceat usuram accipere?

§. 22. Gravis profectò hæc quæstio est, & non à Jureconsultis & Politicis tantum, sed à Theologis quoq; diu multumq; agitata. At enim verò ut quæstionem illam valdè intricatam

C

rectius

rectius & circumspicius extricemus, PRIMUM hujus contro-
 versia status ritè informandus est. Nam hïc non quæritur I. An
pro officio mutuacionis alteri gratitudinis loco aliquid offerendum sit?
 Hoc siquidem per se manifestum est, nisi quis penitus ingratus
 esse voluerit; & hâc ratione proximum suum deinceps in of-
 ficio mutuacionis faciliorem ac promptiorè reddet, secundùm
 illud *χάρις χάριτιντες*. II. Neq; de *usura Lucratoriâ*, quæ cû ex-
 actio sit talis, qua bona & facultates proximi atteruntur, & era-
 duntur, ita ut ipse ex mutuô non relaxationem, sed afflictio-
 nem sentiat; imò secundùm effata Spiritus Sancti manifestissi-
 mum furtum, ex Rep. Christianâ infra omnes inferos meritò
 releganda, ejusq; non modò radices, sed fibræ etiam penitus ex-
 cindendæ sunt. III. Neq; de *Punitoriâ*, quam discretioni Ma-
 gistratûs, singulos contractus illius exactius ponderantis diju-
 dicandam relinquimus. Sed IV. de *Compensatoriâ*, quæ ejus-
 modi contractus est, quò pecunia elocatur, hâc quidem condi-
 tione, ut non modò fors suò tempore restituatur, sed insuper
 census pendatur annuus, qui tamen modum legibus præscri-
 ptum non excedat: Sic ex cõstitutione unius-cujusq; regionis,
 pro 100. fl. annuatim quinque, vel sex penduntur.

§. 23. DEINDE cum homines in communi vitâ non sint
 unius & ejusdem conditionis & sortis, meritò classica & illu-
 stris illa *hominis in tres gradus statusq; distinctio* simul pensanda
 venit. Ideò quod ad *primum gradum*, in cõ consistunt *mendici*,
 iique maximè, qui vel morbi, vel senectutis vitiò nihil quic-
 quam sibi labore acquirere valent. His non modò usura, sed
 fors etiam condonanda, ut sic id, quod illis datur, pura puta sit
 Eleemosyna. Ad *secundum gradum* pertinent *οἱ πένητες*, i. e. ij,
 qui & ipsi quidem tenuioris sunt fortunæ, adeoque subsidij &
 opis alienæ indigi; integras tamen habent vires corporis, ut
 necessarium sibi, suisque victum & amictum labore manuum
 comparare possint. Hujus classis hominibus succurrendum
 est ex mandatorum Dei necessitate, *Prov. III. 27. Matth. V. 42.*
Syr. XXIX. 1. & seqq. Ita Ut tantùm fors, ultra sortem verò
 planè nihil amplius reposcatur. Et si contingat, ut post initum
 elocationis contractum, *Debitor*, improvisò quodam infortu-
 niò,

niō, tantum accipiat damnum, ut vix habeat, unde sortem reddat; nedum ut ultra sortem aliquid solvat amplius: tum *Creditor* non modō pensionem annuam, sed etiam, pro ratione circumstantiarum sortem integram, vel certē partem ejus *Debitori* condonare tenetur. *Tertius gradus* est eorum, quibus τὰ βιωτικὰ (h. e; ad vitam sustentandam & victum conquirendum, pertinentia) quidem suppetunt; interim tamen *Oeconomix* vel alijs honestis commercijs dant operam, quæ ut commodius ac majori cum emolumentō exercere possint, pecuniam ab alijs mutuō accipere solent. *De his unice* in præsentī negotiō discepatur, an nimirū *homini Christiano ab ejusmodi hominibus tertij gradus, secundū quartam usuræ acceptionem, liceat accipere usuram*, h. e. ultra sortem annuum censum.

§. 24. Proxus *Negativam* partem amplectentes hisce rationibus superbire consueverunt I. Quicquid (1) naturæ Nummi contrariatur. (2) anxietatem in animō hominis parit (3) imō mortem ipsam accelerat, illud ab omnibus Christianis procul esto. Atqui usura hæc omnia præstat. Ergo usura ab omnibus Christianis procul esto. *Majorem* quod spectat, ajunt, illam non indigere probatione. *Minor* ab ijs demonstratur per singula mēbra; *primum*, quia usura certē contrariatur Nummi naturæ: Nummus enim non ideō inventus est, ut pariat alium nummum, licet Græcis τὸ ἀπὸ τῆς πικτεῖν dicatur, sed ut sit medium permutationis in contractibus. *Deinde* usura parit anxietatem: Nam cum Ebræis usura vocetur אֲשֵׁרָא אֲשֵׁרָא quod propriè & ubiq; ferè accipitur de morsu serpentis, ille, qui usuram persolvere cogitur, profectō sentit in animō anxietatem. Hinc non absimile illud exinde propullulans simile: Sicut serpentis morsus non statim abscindit, & detruncat membrum, sed venenō suō inficit, ut lentè & sensim tabescat; ita usura corrodit hominis substantiam sensim, licet primitùs non animadvertatur. *Tertio* usura mortem accelerat: Fœnus enim dicitur Alphonso, quasi funus animæ, seu viva hominis sepultura & cruciatus. Non igitur ineptum est, usuram mortem accelerare. II. Quicquid in sacris literis prohibetur, illud ab omnibus Christianis procul esto. Atqui usura in sacris literis simpliciter prohibetur.

betur. Ergo usura ab omnibus Christianis procul esto. De *Majori* non esse dubitandum, quivis eorum plenis buccis clamat, *Minorem* probant ex ijs Scripturæ locis, quibus non tam usura, quam usuræ excessus non modò prohibetur, sed Diris planè devovetur; quippe *Deut. XXIII. 19, Prov. XXII. 8, Nebem. V. 7. Ex. XXII. 25. & 27. Lev. XXV. 35. & 36. Psalm. XV. 1. & 5. Ezech. XVIII. 8. & XXII. 12. Luc. VI. 34. Tim. VI. 9. III.* Cuicumque à Spiritu Sanctò demandatur, ut argentum proximo det mutuum, nihil inde sperans, illi interdicitur ab eò accipere usuram. Atqui homini Christiano à Spiritu Sanctò demandatur, ut proximo, imò inimicis suis argentum det mutuum, nihil inde sperans. Ergo homini Christiano interdicitur ab ijs accipere usuram. *Majori* non opus esse, dicunt, fundamentò, *Minorem* stabiliant ex istò pronuntiatò Christi *Luc. VI. 35.* Veruntamen *diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, &c. IV.* Quicquid Ethnicis sanioribus valde odiosum fuit, illud & nobis Christianis odiosum esse debet. Atqui usura Ethnicis sanioribus valde odiosa fuit. Ergo usura & nobis Christianis odiosa esse debet. *Majorem*, a-junt, esse extra controversiæ dubium. *Minorem* nobis offerunt confirmatam à testimonijs (1) *Caton. Lib. de Re rustic.* Majores nostri sic habuere, & ita in Legibus posuere, furem duplici condemnari, foeneratorem quadruplo, adeò pejorem existimàrunt foeneratorem, quam furem. (2) *Cicer. l. 2. in offic.* cum quispiam percontaretur, quid in re domesticà maximè expediret? Ex *Catone* Censoriò respondit, benè pascere, benè vestire, & bene arare; quærenti ulterius, quid foenerari? respondit, quid nisi hominem occidere.

§. 25. Pro *Affirmativâ* militantes ita colligunt I. Si Evangelium non abolet ipsas politias, utiq; neq; leges politicas, quæ ceu firmamentum politiarum sunt, tollet. Atqui leges politicæ concedunt usuram Compensatoriam. Ergo etiam Evangelium eandem non prohibebit. Quod Connexionem *Majoris* attinet, illi nemo hominum refragari poterit; aliàs Christus ad abrogandas leges in mundum venisse statueretur, quod *ἀτοπον* & absurdum. II. Omnis Justitia Commutativa, quatenus talis, æqualem requirit compensationem. Atqui si pro-

ximo

22562
ximo pecuniam absq; usurâ concederemus, tùm nulla adesset
æqualis compensatio: Nam ille lucrô, nos verò damnô affice-
remus, cum ille ex nostrâ pecuniâ aliam lucraretur. Ergo con-
tra Justitiam Commutativam est proximo pecuniam mutuari
absq; usurâ. III. Deus ipse videtur usuram non omnem, sed eam
solum, quæ à fratribus exigitur, prohibere, *Deut. XXIII. 19.* Non
fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno.

§. 26. Ad argumenta in contrariam partem opposita, par-
tim in *Genere*, partim in *Specie* nos respondere possumus. In
Genere I. repetenda & applicanda venit ad singulas objectiones
usuræ *ωεθωρία*, quam satis exploratè adstruximus §. 22. & 23.
II. Distinguendum est (1) inter vocis *Allusionem*, & *Derivationem*
exactè talem, de quâ præprimis quærere multùm interest. (2) In-
ter *Derivationem Grammaticam seu Nominalem*, & *Logicam seu*
Realem, quæ ultima nobis non tam voces, quàm res significatas
per voces ante oculos ponit, III. Limitamus inter *Usuram lici-*
tam, quæ non excedit quantitatem V. aut VI. Florenorum ap-
probatam auctoritate Romani Imperatoris, & Rescripto illò Se-
renissimi Electoris Saxonie, quod usitatè appellatur *das Tor-*
gische Ausschreiben; & *illicitam*, quæ est exactio talis, quâ bona
& facultates proximi atteruntur, & eraduntur, ita, ut ipse ex
mutuò non relaxationem, sed afflictionem sentiat; vel ubi plus
æquò accipitur præter sortem, id quod excessum lucri, h. e. *υ-*
βερσας vocat Scriptura *Levit. XXV. 36. 37.* IV. Distingui-
mus inter *Summæ & Temporis* circumstantiam: Sic si exiguam Summâ,
& quidem ad tempus exiguum petat, esse ultra sortem nihil reci-
piendum; Si verò summa ad annos aliquot petatur gravior, le-
gitimum *interesse* pendendum.

§. 27, Præmissis jã præmittendis *in specie* ad singula argumenta,
& quidem ad eorum *primam* nos respondemus, Consequentia-
m (1) *negando*. Nam usuram legitimam accipere, ponderatis
omnibus suprâ recensitis circumstantijs, non est contra natu-
ram Nummi, sed ejusdem Naturæ, data occasione, potiùs sal-
vatur, quia pariter medium est, quo Creditori satis fit; Funda-
mentum verò ipsius probationis saltem allusio est. (2) Distin-
guendò inter *τὸ parere anxietatem per se*, & *per accidens*, quò
respectu hîc *Fallacia Accidentis* committitur, de quâ videantur.

Logici. [3] Rectè ponderandò, quà re iterum factâ, vocis *alluso* foeneri cum funere intercedit. Ad *secundum* & *quartum*, ea unice loqui de usurâ illicita, quâ nihil turpius, nihil crudelius. Hinc *Ambros.* in *lib. de bono Mortis c. 14 q. 4.* Si quis usuram accipit (intellige illicitam) rapinam facit, vita non vivit. & *Cbrysof.* in *cap. V. Matth.* usura (illicita) est similis morsui aspidis, quò substantia & facultates proximi arroduntur. Ad *Tertium*, ibidem committi *duplicem Fallaciam Ignoratiōis Elenchi.* *Prima* est, quia dictum illud non opponitur nostræ huic sententiæ, quæ quippe non primum & secundum hominum genus attingit, sed tertium modò, & tamen non semper; statuimus enim & ipsi, quod pro ratione circumstantiarum interdum nec sortem etiam, nedum usuram vel pensionem annuam repolcere liceat. Illud verò Christi effatum propriè *secundum* hominum *genus* concernit, quibus, urgente necessitate, ita succurrendum, ut ne fors quidem possit ἀπελπίζεσθαι: Loquitur enim de ijs, qui τὰ ἴσα reddere nequeunt. Quò etiam spectat exemplum publicanorum, qui & ipsi mutuam dare solebant, ut τὰ ἴσα reciperent. *Secunda* est, quia particulæ istæ (*Nihil inde sperantes*) non ad solam usuram referendæ sunt; sed ad restitutionem sortis; id quod ex eodem exemplò publicanorum facilè apparet. Adde quod particula *NIHIL* planè sit universalis, non tam usuram, quàm sortem omninò excludens. Ergo usuram accipere, observatis probè temporis, rerum & personarū circumstantijs, homini Christiano neutiquam interdicitur. Et huc usq; *Sectio Secunda.*

SECTIO III. AXIOMATICA.

Annectens Porismatum quorundam & Conclusionum naturam & ingenium per Confirmationem & Explicationem,

I. Lucrum in justâ Commutatione locum habet.

§. 28. CONFIRMATIO: Hujus *Enunciati* veritatem ut quisquis, primò etiam intuitu, sine ullâ circumstantiarum difficultate amplexari queat, ipsi ansam præbet subsequens exemplum: *Mercator* emat modium frumenti pro 8. gr. quæritur, an eodem pretiò vendere iterum debeat? & respondetur negativè, quia

2159
vè, quia hoc *Justitia Commutativa*, quæ summam requirit æqualitatem mercis & pretij, contrariaretur. Nam satis fieri debet Mercatori non tantum pro frumento, sed etiam pro operâ, in advehendô frumentô adhibita: Illa merces mercatori persoluta habet rationem lucri; sicque venderet modium 10. gr: Octo pretium essent frumenti, duo verò reliqui haberent rationem lucri. Idem etiam de reliquis mercaturis dici poterit, modò hoc observetur, operam illam & laborem non nimium exaggerandum, sed semper proportionem inter mercedem & laborem servandam esse.

§. 29. EXPLICATIO: Ut ea, quæ circa *Conclusionem hanc* scitu imprimis necessariae occurrunt, brevissimis verbis expediantur, advertendum est. I. Eiusdem *Subjectum*, h. e. LUCRUM, loqui de Lucro (1) *non injusto*, quod ab omni permutatione iusta quàm alienissimum esto: Nam ex mente *Hesiodi*. Malum lucrum æquale dispendio. Hinc rectè *Cbilon*: Ζημίαν ἀνεξ μάλλον, ἢ κέρδιον ἀναξέειν, i. e. Damnum potiùs, quàm lucrum turpe elige. Sed *iusto*, hoc *Justitiæ* non repugnat, sed ab eadem præcipitur, cum non referatur ad damnum alterius, sicuti lucrum injustum facere consuevit, (2) *non in prima Commutatione*, quâ ipsi à neutra parte inhietur, sed *in secunda*, ex institutô hominum subsequenti *Commutatione*, quâ novus & diversus contractus inicitur, huiusmodi *Commutationis* exemplum legas paragrapho præcedenti. II. Quod concernit *nervum Prædicati*, ipse satis constat, & *notanter* ex additâ voce, *iusta*, cuius vi *Commutatio quedam iusta*, in quâ aliàs per consensum res pretiò ita commutantur, ut Venditor obligetur ad tradendam rem, Emtor verò ad dandum Venditori pretium conventum, *ab injusta* planè distinguitur. Interim teneamus, quod omnes in universum *Commutationes iustæ* sic comparatæ esse debeant, ut in ijs cuncti homines æquales sint, nec alius præ aliò vel minima prærogativa gaudeat, vel ut præter traditæ rei, & dati pretij collationem nihil ampliùs attendatur.

II. Nemini etiam urgente fame, vel religionis prætextu furari licet.

§. 30. CONFIRMATIO: Ex monumentis, quæ pro adstruendâ *bujus Forismatis* veritate aliàs adhiberi solent, *primum* est. Quicquid simpliciter & absolute prohibetur, id nullâ ratione fieri debet. Sed omne furtum simpliciter & absolute est prohibitum; dum enim dicit Deus: Non furaberis, lex illa nullam planè exceptionem & determinationem admittit, sed simpliciter, quòcunque nomine & fine etiam fiat, omne furtum prohibet, perinde, ut omne adulterium, omne homicidium simpliciter prohibetur. Ergo nullâ ratione licitum est furari. *Secundum*: Ex animò Deus odit omnes victimas & elemosynas furtò contractas: De tuis namque & tu vivere, & alteri aliquid elargiri debes. Atqui res furtò ablatæ tuæ non sunt, quamvis enim jam possideas, quia tamen non legitimo modò possides, pro verò possessore non haberis. Ergo neque tu de ijs vivere, neque Deo & proximo inde aliquid elargiri debes. Hinc polluta ejusmodi donaria,

donaria, & vota passim in Scriptura prohibentur, Deut. XXIII. 18. Proverb. XV. 6. c. XXI. 27. Eccles. XXIV. 23. Tertium: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Atqui nemo vult, sibi per necessitatem fame urgente vel etiam prae-textu religionis sua dirimi bona. E. nec alteri idem faciat.

31. EXPLICATIO: Hic nobis considerandum Axiomatis hujus, per confirmationem hactenus demonstrati, *subjectum & Prædicatum*. Pro Expositione *subjecti*, quod h. l. repræsentat verba (*Nemini, etiam urgente fame, vel religionis prae-textu*) notemus, [1] *famem* hic intelligi naturalem & physicam, adeo ut ejusdem necessitas, quæ ad furtum faciendum urgeat, sit vel extrema & communis, vel non extrema & singularis. Et hæc definitur, quod *secundum Aristotelem l. 2. de Anima*, sit appetitus & concupiscentia calidi & sicci, h. e. cibi, unde famelicus, qui agitur edendi cupiditate. (2) *Religionis* in hoc passu *præ-textum* esse tantum speciem cultus, quin imò hypocrisis & victimam pollutam, quæ Deo minimè debetur. Cum enim *in genere* non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, utique nec *in specie* furari licitum erit, ut inde & Deo & proximo aliquid erogari possit. Atqui prius verum per Apostolum, Rom. III. 8. E. & posterius Hinc ex alieno largiri, *inquit Cajus Iureconsultus, in lib. de Furtō*, & beneficii de vitore sibi acquirere, est species furti. Et Gregorius ad Synagium Episcopus. Non est putanda Eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur. Verba, loco *Prædicati* posita, non sunt intellectu difficilia: Namque *furari* quid sit, & quotuplex nomen *furti* aliàs accipiatur, neminem latet, nisi si qui ejus professionis pessimæ studiosus sit. Interim sciamus, hoc in loco determinari *furtum*, opere & facto externò commissum. *Vid. D. Dietr. in Sec. Tab. Decal. p. m. 190. & seqq.* Hallucinatur proinde Thomas *secunda secunda quæst. 66. Art. 7.* statuens in casu necessitatis licere omninò proximo aliquid surripere, sive occultè hoc fiat, sive manifestè; neque hoc propriè furtum aut rapinam esse, propterea quod ex Providentia Divinæ res inferiores ordinatæ sunt ad ministerium superiorum, & illa, quibus alii abundant, debeantur sustentationi pauperum. Sed respondemus verum quidem esse, quod ex nostris bonis sublevandi sint pauperes, at justò modò, non ut ipsi nobis nostra aut per vim eripiant, aut per fraudem & dolum surripiant, sed ut expectent, donèc illis aliquid offeratur. Et si dives adeò crudelis & immisericors fuerit, ut pauperi petenti & esurienti panem non frangat, fame potius moriatur, quàm furtò sibi vitam proroget pauper, certò sciens, divitem illum crudelem esse homicidii reum; neque impunè hoc laturum secundum illud Augustini, *si non pavisti, occidisti.* Et hactenus de
Justitia Commutativa.

SOLI DEO GLORIA.

Eximio atque Politissimo Dn. Respondenti,
Fautori & Amico suo honoratissimo.

Justa movet Justus; Justis æmulus actu,
Nec minùs in Cathedrâ Jus tueare, precor!

F I N I S.

Lm̄s f

Præses.

libri Studioforum in Musaeum collati, pro pignore non sunt pag. 1019.
donata à Patre studioforum causa Filio, non sunt post mortem Patris
conferenda. pag. 1263. aliter in dote se habet.

00 A 6414


ULB Halle 3
002 928 094


12

1017







25 2257.
TICO - PHILO-
CUNDUS

ET QUI-
UTATIVA,

Optimi, Maximi, cujus-
dâ Dictatoris perpetui,

Wittebergensi,

DE

ORO GRAU-

Osterlandô, Collegij

djunctô,

um suscipiet

GANTZLANDUS,

fnicus,

ris pomeridianis

. Julij.

G Æ,

eri, Acad. Typogr.

C LI.

25 422

